

20 9.

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

QVA

CORPORIS HVMANI
MOMENTANEARVM ALTERA-
TIONVM SPECIMINA QVAE-
DAM EXPENDVNTVR
INQVE CAVSAS EARVM
INQVIRITVR.

QVAM

PR AESIDE

D. IOANNE HENRICO SCHVLZE
MEDICINAE ELOQVENTIAE ANTIQVITATVM ET
PHILOSOPHIAE PROFESSORE PVBLICO
ORDINARIO
ACADEMIARVM IMPERIALIVM NATVRAE CVRIOSORVM
ET PETRIPOLITANAЕ VT ET REGIAE SCIENTIA-
RVM SOCIETATIS BEROLINENSIS
SODALE

PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN ARTE MEDICA LEGITIME
OBTINENDIS HONORIBVS

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTET


Add. Septembbris M DCC XLI.

A V C T O R

IO. GEORGIVS KRVMNAV.
RIGA LIVONVS.

HALAE MAGDEBURGICAE

Litteris IOAN. CHRIST. HILLIGERI, Acad. Typogr.



VIRO PERILLVSTRI
EXCELLENTISSIMO ET GENEROSISSIMO
DOMINO
IOANNI BERNARDO
DE FISCHER

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI RVSSORVM
IMPERATORIS
PERSONÆ MEDICO
ET PER OMNEM RVSSIAM ARCHIATRO
NEC NON ACADEMIÆ NATVRÆ
CVRIOSORVM SOCIO
DOMINO ET AVVNCVLO SVO SVMME
DEVENERANDO
MVLTORVM BENEFICIORVM CAVSA
TVM VERO HVIVS MAXIMI
QVOD STVDIA SVA OPTIMO CONSILIO IVVIT
ET DIREXIT
ÆTERNAS GRATIAS PROFITETVR
SPECIMEN HOC STVDIORVM PRIMVM
CONSECRAT
SEQVE TOTVM PERPETVO
OBSEQVIO ADDICIT

VT ET
PATRIÆ PATRIBVS
INCLYTÆ REIPUBLICÆ RIGENSIS
VIRIS
*MAGNIFICIS STRENVIS GENEROSIS NOBILIS-
SIMIS CONSULTISSIMIS DOMINIS*
DOMINIS
**CONSVLIBVS
SENATORIBVS
SECRETARIIS**
PATRONIS AC FAVORIBVS SVIS PERPETVA
PIETATE COLENDIS ATQVE
SVSPICIENDIS
SPECIMEN HOC STVDIORVM SVORVM, IN PERPE-
TVVM OBSERVANTIÆ SVÆ DOCUMENTVM
D. D. D.
AVCTOR
IO. GEORGIVS KRVMNAV
RIGENSIS,

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
QVA
CORPORIS HVMANI
MOMENTANEARVM ALTERATIONVM
SPECIMINA QVÆDAM EXPENDVN-
TVR
INQVE CAVSAS EARVM INQVIRITVR.

PRÆFAMEN.



uum certus sim medicinam duobus
niti debere columnis, experientia
& ratione; & quod ipsa ratio ex
repetitis experimentis eodem sem-
per modo cadentibus, horumque pluribus
inter se collatis & comparatis, elicienda &
producenda sit: totam medici vitam sentio
nihil aliud esse debere, quam perpetuam ob-
seruationem eorum, quæ in sensu incurront,
atque seueram indagationem illorum, quæ
sensibus abscondita sunt, & istos, quos per
sensus nostros percepimus, produixerunt effe-
ctus. Fuit quondam scholæ medicæ aliqua
familia, quæ propalam profitebatur illam ab-
ditarum causarum indagationem, qua ratio-

A 3

nem

PRÆFAMEN.

6

nem venamur , ad medicum nihil pertinere: forte etiam Hippocratem non iniuste dicemus a rationibus requirendis aliquantum alienorem , quam videri ipsum volunt clarissimi viri , qui dogmaticorum seu rationalium patrem ac principem per complura sœcula decantant. Sed quod Hippocrates remotioribus causis requirendis sedulo feliciterque studuit, etsi in proximis industria eius defecit: maneat ipsi laus, qua diutissime floret , per nos illibata. De empiricis autem manifestum est , quod totus mundus in profunda terum medicarum ignorantia versatus esset, si ab exortu illius sectæ mansissent & ad nos persisterent eiusdem decreta , quibus omnem abditarum causarum requisitionem abscindebant. Nam qui anatomicum scrutinium corporis humani contemnunt medici , eos necesse est aut ignaros esse summi momenti accessionum , quas ars nostra inde a ducentis annis , dante & procurante anatomia , accepit ; aut de sua, ad quam delati sunt , secta ita sentire , quod ad summum perfectionis apicem deducta sit , & tamquam corpus athletice repletum in extremo boni habitus consistat. Certe de secre-
tioni-

tionibus parum, præter facultates veterum, nosceremus, nisi anno, qui ante hunc præsentem centesimus fuit, MAVRICIVS HOFFMANNVS Furstenwaldensis Marchicus du&etum pancreaticum in animalibus inuenisset, suoque hospiti Wirsungo ostendisset, qui sequenti anno in homine etiam repertum publicauit. Certe ab hoc tempore anatomici certatim glandulis quasi venandis operam dederunt, infinitosque ductus detexerunt, quibus diuersi latices multis locis effunduntur. Legat recentissimos physiologos, qui dubitat, an hæc inuenta lucem attulerint. Quid dieam de circulatione sanguinis, quid de chylo & lymphâ, horumque humorum viis, quid de novis, circa partes generationi inferuientes, inventis? Omitto hæc, cum longe pluribus, & pauca attingo, quæ in memoriam reuocent quantum opera artis medicæ emendatoria certioraque per anatomen sint reddita. Quanto nunc expeditior & facilior est fistularum lacrymalium curatio, præ illa pristina, quæ non poterat non corrumpere & miseriores reddere ægrotantes? quanto nunc melior est heriarum curatio; & quam compendiosa multisque

PRÆFAMEN.

8

tisque modis certior calculorum excisio, postquam anatomici ruditatem artis necessariæ emendandam, dirigendam, illustrandamque suscepserunt. Atque hæc pro anatomia empiricis visa fuerunt respondenda. Quis autem exitus erit, si pro physica dicendum esset, quantum leges motus declarando, corporumque qualitates expendendo, aetis, ventorum, caloris, frigoris, diuersarum, quæ in aeribus & aquis occurrent, mixtionum & aduentiarum qualitatum indicium faciendo, ortumque indicando, ad morborum generationem intelligendam & curationum vias inueniendas, operæ pretium faciat: aut si expediendum esset quantum amplissime patens chymia artem nostram promouerit ad inueniendam mixtioneum eorum, quibus recte comparatis valedo ac vita nostra quotidie producitur & continuatur: quantum ad venenorū distinctionem cognitionem ea faciat, eodemque ad oppositam illis medelam cum recta ratione faciendam nos instruat. Hæc certe omnia si recte adhibeantur, & non tam inferantur in doctrinam medicam, forte extra corpus nostrum particulariter visa & obseruata, sed in ipso

ipso corpore obseruatis maruro prouidoque iudicio ad illustrationem adhibeantur: ostendunt sane multas vias proprias ad naturæ abdita penetrandi. Sed videtur optimam spem nimis saepe corrumpere festinatio, quando nos impatiens desiderium nouæ inuentionis, aut omnino systematis noui, laudem decerpendi impellit ad extrudendum quod maturitatem nondum consequutum est. Aequo enim incrementa artis remorari videntur, qui ad placa-
cita sectarum, tamquam in breuia aut syrtes deuecti, haerent, quam qui libere in verum inquirere exorsi, nauem inconsideratus vento ratiociniorum permittunt, a quo cæcis & latitantibus saxis impinguntur. Quare mihi hanc legem scripsi in veritatum medicarum scrutinio tenendam, nihil ut adsperner, quod vel ipse fideliter obseruaui, vel a viris fide dignis annotatum & in commentarios suos relatum deprehendo, quodque plena fide historica dignum debeat haberi: deinde ut in euentus causa proxima requirenda in nulla acquiescam, quæ supponitur, sed indagando pergam, donec inueniam in corpore humano realiter præsentem, sensibus comprehendendam, & cum

B

quæ-

10 DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

quæsito euentu manifestum nexum habentem. Ut autem exercitium perpetuum haberem, a longo iam tempore mihi præfixi indagationem momentanearum in corpore animali viuo accidentium mutationum; quarum ipse met partem fidelibus & attentis sensibus obseruaui: partem ex virorum fide dignorum scriptis aut orali relatione accepi. Selegi autem ex multis pauca alterationum eiusmodi specimina, ne limites commentationis academicæ nimium excederem, & ut temporis angusto, quum graues causæ redditum in partiam accelerare iubeant, consulerem. Lectoris benevoli æquitatem imploro, vt omnia in meliorem partem interpretetur.

§. I.

Alterationem, cum omni schola medica, vocamus status, qui ante fuit, notabilem mutationem, siue illa in melius accidat, siue in deterius. Atque talis accedit multis subiectis: vt aëri, quando serenus in nubilum, frigidus in calidum, siccus in humidum, aut quoiquincunque alio modo constitutus in diuersum aut contrarium migrat: vt vino generoso, quando lentescit, vappescit, aut in acetum transit. Sed medica consideratione digniores sunt alteraciones, quæ in animalium viuen-

DE ALTERATIONIB. MOMENTANEIS C. H. II

vuentium corporibus, præcipue autem humanis, eueniunt. Pridem itaque inualuit in medicina hoc nomen alterationum, quum vetustissimi therapiæ omnem, quam ægrotis nauat, operam bipertitam voluerint: scilicet euacuatoriam, quæ nimia & noxia subducit; & alterantem, quæ qualitatem humorum aliter determinat, & his ita alteratis, firmarum etiam partium statum & conditiones mutat.

§. II.

Latissimum illum conceptum, commodioris doctrinæ causa, emendauit Illustris Academiæ huius SENIOR DOM. FRIDER. HOFFMANNVS, præceptor ac patronus meus omni pietate & obsequio atatem colendus in medic. systemat. tom. III. sect. II. cap. 4. qui quatuor medicamentorum summa genera docens, alterantium nomen illis reliquit, quæ materiæ vitiosæ corrigenda dicata sunt, & ab iis sciungit, quæ solidorum statum roborando & excitando, aut remittendo & sedando, mutant. Quæ diuisio ut rei naturæ conuenientissima, & docentibus ac discentibus aptissima est, quando de medicamentorum generibus agitur: ita non videor mihi contra mentem illustris venerandique præceptoris agere, qui alterationis vocabulum in tractatione mixta, scilicet pathologica & therapeutica, tam amplio sensu accipio, ut lædentiū æque ac iuuantium momentaneis effectibus conueniat.

§. III.

Momentaneas alterationes dicendo, intelligo illas,
B 2 vbi

12 DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

vbi inter tempus caussæ corpori attapsæ, vel quocunque modo insinuatæ aut illatæ, illiusque conspicuum effectum, siue salubrem siue insalubrem, nullum omnino intercedit notabile interuallum. Atque huius generis non pauca notantur in vita hominum, vbi a re audita, visa, odorata vel ore adsumta, ipso illo momento affecti exsternantur, concidunt & vitæ suæ ipsimet ignari, alios de ea dubitantes, aut non multum boni sperantes reddunt. Et quamquam ab illo initio continuo augescentes læsiones sëpe prògrediuntur, & grauissimos effectus tandem producunt; vt finis seu euentus istiusmodi momentaneus non possit dici: quoniam tamen cum initio, perpetua & necessaria serie, cohæret euentus posterior; non vereor ne item mihi de nomine quicquam moueat.

§. III.

Quum multa occurrant istiusmodi alterationum exempla, quas momentaneas optimo iure dicas: haud scio an me reprehensurus quisquam sit, si dixero & grauissimas & frequentiores esse, quæ initium capiunt ab aliqua caussa, quæ auditum & visum afficit: maxime si, quod vix abesse in his binis solet aut potest, animi magna & improvisa commotio coniungatur. Sic pleraque exempla grauissimarum passionum præbent feminæ, præcipue grauidæ aut menstruatæ, quas incurserunt subita tempestate exorta, quæ magnis tonitruis aut fulgetris vel in ipsas ædes, quas habitauerunt, vel vicinas delapsis, incendioue excitato periculum magnum adduxerunt, aut minatae fuerunt. Deinde conspicentes oculis

DE ALTERATIONIB. MOMENTANEIS C.H. 13

oculis siuoriunt, quibus tamen succurrere non possunt, maximum & improuisum periculum; tantoque magis laeduntur & afficiuntur, quanto securioribus & tale quid minime exspectantibus tam tristia obiciuntur oculis.

§. V.

Sed & per olfactus & gustus sedes in nos primum delata, ipso momento, quo tam breue iter traiciunt, incredibiles saepe effectus perpetrare solent, tam ad iuandum excitandumque, quam ad animi deliquia, strangulatus uterinos, epilepticas conuulsiones, mentis pueriones alienationesque subitanas inducendum. Tandem etiam tactum accensere debemus illis fenestris, per quas mors cum morbis subire vitalem oeconomiam vallet. Non multa, fateor, specimina occurunt, qua^e sati clare comprobent tactum, quatenus organum sensus denotat, & in manu eminenter collocatus est, momentaneas producere aut potius primum suscipere & in uniuersum corpus diffundere & propagare posse alterationes. Nam quod frigus, calor, humiditas, siccitas, horumque vicissitudines breui tempore sibi succedentes potenter agant & celeriter, nemo negauerit: dubitabunt tamen plerique, an hic magis in humores alteratos & hinc per totum corporis habitum vndique ad interiora recurrentes cau^asa coniencia sit, quam in tactus organum, per se & priuatim patiens.

§. VI.

Enimuero omnem eximit animo dubitationem, quod apud grauissimos scriptores, tam veteres quam recentiores

14 DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

centiores, consignatum de torpedine pisce legimus. Tam tam scilicet scribunt viuæ vim inesse, vt retibus capta, antea quam manu attingatur, manum lacertosque pescatoris stupore non modico afficiat. Quin si quis contum vel hastam mari immiserit, illaque hunc pescem attigerit, celeriter stupor manum corripit. Ex quo factum est, vt iam a bis mille annis de tam singulari efficacia, per maris inquietas vndas, per funes retium, per contos hamorum transmissa disputatum fuerit. Et ne manus solum infestam putemus, etiam de pedibus nos certiores reddit PLINIVS *hist. natur. lib. XXXII. torpedo.* scribens, *etiam procul & e longinquæ, vel si haſta virgane attingatur, quamvis præalidos lacertos torpescere facit, & pedes, quamlibet ad cursus veloces, alligat & retinet.*

§. VII.

Videntur etiam tactui plurimum debere illæ alterationes, quas relatas legimus apud ANSELM. BOETIVM de BOOT *de gemm. & lapid. libr. II. cap. 102.* & ex eo repetitas apud ROB. BOYLE *de utilit. philosoph. experimentalis exercit. V. pag. 279.* Scilicet BOETIVS apud illustriss. Baronem de Kniphause didicerat vim insignem iaspidis rubræ, in menstruis impetuosis subito fistendis, quum femori alligata esset: vt & in vulnere pedis, quum nihil ad sanguinem cohibendum valeret, eandem admotam, etiam non tecto vulnere, haemorrhagiam extemplo sustulisse. Harum curationum memor, quum virgo per sex annos menstruis nimiis & impetuosis ita vexata, vt vix vñquam hebdomada præteriret, quin aliquoties ipsi sanguis effueret, quæque omne

DE ALTERATIONIB. MOMENTANEIS C. H. 15

omne genus præsidiorum & medicamentorum frustra tentauerat, opem eius implorasset: sepositis aliis omnibus vtendam ipsi dedit iaspidem rubram, crebris experimentis antea spectatam, quam collo appensam gerezet. Sistitur illico sanguinis fluxus, nec reddit, quamdiu gemmam gestat: si deponeret, interiecto non longo tempore reddit, idemque, gemma iterum appensa, statim fistebatur.

§. VIII.

Dantur etiam notabilia alterationum satis celerium specimina, in quibus obscurum est quis sensus potissimum primumque afficiatur. Refert illustr. ROB. BOYLE *de insign. effic. effluvior. cap. VI.* de virgine nobili quæ a rosis tantopere offendebatur, ut etiam ignara nulloquo sensu de præsentia carum admonita, anxietatem ad lipothymias properantem perciperet: cuius rei experimentum, in principissæ cuiusdam aula captum, pluribus refert. Nota mihi est nobilis matrona, quæ feles iam adultos circa se pati potest: vbi autem exigui & nondum adulti conclaue subeunt, maxime insciam illico admonent de sua præsentia anxietate cardialgica ad syncopen, nisi animalculum cito remoueat, progreidente. Forte tamen omnium maxime mirabile est, quod in viro illustri, & maxime forti animo ac corpore prædicto, nostro tempore multis cognitum est. Is quem omnem pomorum fructuumque horæorum genus sine offensa ferat, ab vna tamen pomorum specie, quam vocant *Herren-Aepfel*, tantopere læditur, ut, si ipso maxime inscio vel vnicum in conclaue, quo degit, inferatur,

mox

16 DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

mox animi deliquio corripiatur: cuius rei experimentum in aula magni principis factum esse, multis referre possem, si longiore sermonem liceret texere.

§. VIII.

His momentaneam alterationem inducentibus proxima sunt, quae admodum exiguo ab assumptione aut applicatione interallo, vix uno aut altero horæ minuto longiore, corpus aut mentem mirifice alterant & peruerunt: utinam sint, quæ æque certe & celeriter eam possint in statum integrum restituere. Nequissimum apud exterios paratur vnguentum, cui odores admitti pulchrum balsami nomen dederunt, cuius si vel tantillum, quod pisi magnitudinem æquet, subter nares hominis inungas, ex leuiter in iram concitato reddet furiosum, feminæ autem ad voluptatem blandis sermonibus paululum flexæ, omnem pudorem, omnem, quam sana ratio requirit, continentia curam auferit. Eiusdem generis est perniciosum daturæ semen, cuius in sanæ rationis & conscientiæ vsu auferendo tam multa extant, tamque infamia specimina, ut ab eo tempore, quo primum ab Indis ad nos mitti coepit, omnes libros medicorum querelis de maleficiis suis impleuerit.

§. X.

Sufficient hæc specimina alterationum momentaneorum: quibus tamen nonnulla adiucere commode debimus, in ea, ad quam illoco accedemus, indagatione proximæ cause. Istud tantum monemus, quod in exemplis alterationum, quas concitati affectus subitanei intu-

DE ALTERATIONIB. MOMENTANEIS C. H. 17

intulerunt, longi esse noluerimus, quum copiose de illis a doctis viris pridem actum fuerit, ex quibus indicamus, qui ad longe plures remittit, b. D. D. CHR. IO. LANGIVM in binis dissertationibus, *de animi commotio-*
num vi medica, & de mortuis ex affectibus.

§. XI.

Atque has omnes alterationes, quando in titulo diximus fieri in corpore humano, illud vtique viuum intelligimus; nam mortuum, præterquam putredinosi corruptui, nullius motus capax est: has autem omnes alterationes, motuum tam in fluidis quam solidis, esse alias determinationes, quam breui antea fuerant, manifestum esse existimo. Dum viuum dico, eodem ipso dico in tali statu constitutum, vt arctissimus inter animam atque corpus nexus subsistat: proinde itaque animam minime excludimus, quippe per organa sensuum, animalibus functionibus vtique seruientia, tam quæ celeres mutationes ad peiorem, quam ad meliorem statum afferunt, corpori primum allabi diximus. Sunt præterea quam plurima facultatum animalium valde tunc alteratarum documenta: in illis vtique qui sine sensu, motu, suique conscientia iacent. Quum vero hæc de anima disceptatio nihil, quod in sensu incurrat, adeoque conuictionem sensualem, quæ in experientia esse debet, afferre posfit, ex villa parte præbeat; summique medici & philosophi in diuersum longe hic abeant: statui mihi omnem hanc de animæ in harum alterationum euentu partibus & concursu disceptationem suo loco relinquendam, mihi vero illa supersedendum esse.

C

§. XII.

18 DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

§. XII.

Iam ut mihi aditum ad hanc indagationem parem, experimenta quædam, cum ab aliis capta, tum a me ipso instituta, testibus semper adhibitis, recensebo. Animal quocunque recens maestatum, si sanguis omnis, ablatio capite, effluxerit, &c, modo nondum omnino obriguerit, in spinalem eius medullam acum ad hoc satis firmam & commodam impresseris, illico obseruabis motum aliquem, qui artus trahit & conuellit. Hoc quum alii in aliis experti fuerint; ipsem in ranis saepius: nuper autem in cane, cui caput amputatum fuerat, omnisque sanguis effluxerat, tentaui, eo successu, qui omnium exspectationem si non superabat, certe implebat. Puncturam enim factam illico excipiebant satis notabiles, quin celeres & vegetæ artuum superiorum commotiones: quumque retracta acu sexies eandem iterum imprimicerem, moueri & contrahi semper easdem partes, quamquam semper imminutius, obseruabam. Quum vero ad lumbares vertebraes eandem acum postea adigerem, non licet motum contractionis ullum conspicere. Habeo a viro fide dignissimo, multisque annis Lipsiae commorato, quod suo tempore id experimentum in homine violenta morte extincto, in almæ vniuersitatis theatro factum fuerit, omnibusque admirationem mouerit successus eius.

§. XIII.

Puto me ex adducto experimento satis iuste colligere, quod & ante me docti viri tam ex illo, quam iis, quæ chirurgi in capitib; vulneribus quotidie obseruant, didicerunt & docuerunt, esse scilicet inter corporis nostri

DE ALTERATIONIB. MOMENTANEIS C. H. 19

stri partes ad motum suscipiendum nullas prontiores & celeriores illis, quæ a cerebro, membranis eius inuestitæ, proxime excent; tum vero quæ a medulla eius per dorſi spinam demissa, iisdemque membranis inuoluta, procedunt: denique illa, quæ maiores neruorum ramos accipiunt aut membranas habent cum cerebri inuolucris proxime & immediate coniunctas, aut plures diuerorum ramorum propagines neruofas, in ganglia plexus que coadunatas, deinde iterum de se emittunt & propagant. Qui autem nerui integumentis minime inuoluti prodeunt, ut qui a processibus cerebri mammillaribus per tunicam narium pituitariam distribuuntur, motu non æque apti sunt & destinati; sed tanto interiorem ad animalis facultatis sedem accessum præbent: vnde odores ad vires refocillandas plurimum valent, & efficaciam celerem exserunt; sed & non minus pernicioſis atque nocentissimis exhalationibus portam aperiunt.

§. XIII.

Olfactus atque gustus organum arcte inter se cohærent: quod vitæ quotidianis experimentis cognitum est, etiam illis, qui medicinæ omnium miniime vel gnari vel curiosi sunt. Efficiunt autem illam cognitionem, & notabilem officii communionem, nerui ab eodem pari quanto exorti, quorum pars magna ad superioremaxillam, nasum, palatum, vuulam, partesque cum his connexas, distribuitur: sed nec minor portio maxillæ inferiori, præcipue autem linguæ, impenditur. Et quamquam sunt hodie, qui, sub celeberrimi viri ductu, officium gustatorium, huic quinti paris propagini ablatum, in nonum par, quod alias linguæ motorium habebatur, transfe-

C. 2

runt:

20 DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

runt: nescio tamen, quam id iuste faciant, & an grauius pro suo gustatorio vel argumentum vel experimentum attulerint, aut afferre possint, quam quo REALDVS COLVMBVS, excellentissimus anatomicus, omni, vt mihi videtur, dubitatione maiori documento, ab experientia rerum magistra ducto, quinti paris officium luculentissime comprobauit *de re anatomica lib. XV. p. 264.* edit. Venet. fol. Quanquam enim iste doctissimus anatomicus adducto loco de pari quarto loquitur: neminem tamen offendere hoc debet, qui nouit, quam non longissimum tempus effluxerit, ex quo olfaciendi officium istis per os cribrosum traicentibus cerebri portio- nibus medullaribus, tunicam narium subeuntibus, attribuere coepit fuit.

§. XV.

Iam igitur mirari tantopere non debemus, si nerui tam propinqua via e cerebro egressi, deinde ita a natura conditi, vt debeant ab oblatis immediate, quamuis subtilissimo modo, quem potissimum MARCELLVS MALPIGHIVS docuit, contingi, atque hinc in se factam mutationem ad sensorum commune deferre; vbi in debilitatis grato quodam & analeptico excitante contacti fuerunt, non solum in naribus & oris partibus subsistentem effectum exerant, verum etiam illico & celerime ad sui originem, cerebrum puto, transmittant. Accedit, quod effectum eorum, quæ in nos per olfactum gustumque delata sunt, magis propagari oportet, gustatorii seu quinti paris per complures partes distributio, quum non solum variis oculi partibus, verum etiam faciei plerisque sese immittat. Omnium autem maximum est,

DE ALTERATIONIB. MOMENTANEIS C. H. 21

est, quod pro nerui intercostalis compositione in ipso adhuc cranio partem largitur, qui deinceps iuxta spinae dorsi per thoracem & abdomen latissime decurrentes, & cum vago pari omnibusque spinalibus infinitis sese modis & locis coniungens, cere omnium in corpore plurimum admirationis impensaque indagationi opera & pretium reddit. Et quemadmodum de gratis atque amicis illud apertum est, ita non minus manifestum & ex parte antea iam monitum, quod noxia sese haud minori facilitate hic insinuare atque hinc diffundere longe latetque possint.

§. XVI.

Videtur autem nec iniucunda neque inutilis quaestio, quidnam istud dicere debeamus, quod se pergustum odoratumque neruorum extremis papillis applicat, & quo pacto in illas agat? an substantialiter aliquid nervos subbeat; an vero tantum tractio, stricturae, vel e contraria parte remissio tonique destruetio fiat? Sic quando perpendimus, quam saudos effectus in nos edat tonitru, vel improviso vel grauius solito auditum, fulgurque aut incendium, vel alia res terribilis visa auditae: vix quisquam erit, cui non absurdia moliens videatur, qui aliquid substantiale & materiale vel suspicari hic velit & requirere. Enim vero ut in illis, quae per auditum visum concussa & quasi prostrata sunt, prorsus existimo motum tantummodo profunde pertinaciterque alteratum in culpa esse, ita tamen spero, me effectum, ut excusatus videar statuere, quod in effectibus, qui abodoratu, maxime autem gustu pendent, etiam materialis quedam substantia neroos intret & per hos in corpus celerime dispergatur.

C 3

§. XVII.

22 DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

§. XVII.

Quibus id argumentis inductus mihi persuaserim,
paucis expediam. Audiueram D. D. PRÆSIDEM non
semel auditorio suo recensentem experimentum, quod
ante hos XXV. annos, in corona multorum commilito-
num, instituerat, animo certe nil minus, quam præoc-
cupato. Scilicet legerat in dissertatione quadem inau-
gurali apud Belgas habita subiunctum cōollarium, quo
prouocabantur omnes anatomici, vt darent, si possent,
rationem, qui fieri queat, vt, si cani viuo vegetoque crus
integrum uno impetu amputaretur, atque sub ea, quam
euenire necesse est, hæmorrhagia paucæ guttulae liquo-
ris cuiusdam styptici rubri ori indantur, momento plane,
absque vlla deligatione aut arteriarum constrictione per
fila obducta, impetuosus ille fluxus subsistat. Videba-
tur hoc magnum & admirabile: obuersabatur tamen ani-
mo, quod arteriæ discissæ, motu contractionis, per validum
stypticum inducto, retrahi & ab circumiacentibus
partibus comprimi potuerint. Existimabant itaque pa-
tronii & amici, cum quibus de hoc arguento collocu-
tus fuerat, dubio huic esse obuiam eundum ea prouiden-
tia, vt arteria non discinderetur, sed incideretur com-
modo ad arteriotomiam instrumento. Procurauerat in-
ter hæc amicus, ipsem medicus, liquoris huius sufficien-
tem quantitatem ex Batauis transmissam. Cum omnia
iam necessaria ad manus essent, cani ex venaticorum ge-
nere, mensæ commode alligato, cutis in summo crure ape-
riebatur, &, quantum necessarium erat, diducebatur, vt
arteria libere conspiceretur. Infligebatur vulnus, salie-
bat sanguis longe lateque in altum, & arcum bñne lon-
gum

DE ALTERATIONIB. MOMENTANEIS C. H. 23

faciebat. Hoc viso fibulatum lorum ori circumductum momento aperiebatur, & cochleari, quo saccharum infusis calidis admetiri solemus, infusæ guttae forte triginta ori immittebantur. Momento subsistebat sanguis; & vulnerato loco thrombus coagulatus superstebat. Non longo tempore interiesto ipsa liquoris conficiendi formula cum Exc. D. D. IOANNE IVNCKERO communicaatur, ad cuius præscriptum D. D. PRÆSES prorsus similem & experimentis pluribus comprobatum elaborabat, ex hæmatite præparato, crystallis tartari & aceto bono destillato diu vna digerendis, donec acetum colore rubrum saporemque bene stypticum acquirat: quo factò modica spiritus vini quantitas successiue additur.

§. XVIII.

Quum hoc experimentum semel iterumque repetitum, saepiusque a D. D. PRÆSIDE in prælectionibus suis laudatum esset, in mentem venit alicui amico meo, annon idem possit effectus impetrari alio quodam liquore styptico, quorum in officinis aliqui haud contemnendi semper prostant, aut non magno temporis impedio parabiles sunt. Sumit itaque illum liquorem martialem, in dispensatorio Borusso-Brandenburgico sub hoc titulo descriptum, scilicet qui paratur ex residuo a floribus salis ammoniaci martialibus in cella per deliquium soluto. Hunc cani, vt decet, ligato ac sanguine per apertam arteriam saliente, ori infudit, atque omnino eundem inde effectum obseruauit. Ipsemet tandem, ante mensis forte spatium, utriusque liquoris, tam stypticis rubri Dipeliani (ad hunc enim auctorem refertur) quam dicti martialis

24 DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

tialis experimentum cepi: omninoque de successu certus sum: quanquam non diffiteor mihi efficaciorum vi- sum fuisse liquorem martialem, illo styptico Dippeliano: cuius culpam tribuo aceti, minus quippe, quam volebam, generosi imbecillitati.

§. XVIII.

Nescio annon maxima admiratione in his experi-
mentis dignum sit, quod stypticus liquor momento ab
ore ad crus satis diffusum pertigerit. Pertigisse autem
effectus docebat. Erat enim in ore inflicti arteriaæ vul-
neris conspicuus thrombus, seu tenaciter coagulatus san-
guinis grumus, leuiter fastigiatus, qui, instar epistomii,
vulnus obturabat, atque egressum sanguinis omnino pro-
hibebat. Iam mihi plane videtur, si iufusus ori liquor
tantum in solidas partes egisset, casque, neruis in ore
ac œsophago fortiter strictis, deinceps momento procur-
rente motu, etiam in reliquo corpore valide adduxisset;
meram labiorum vulneris constrictiōnem accidere de-
buisse. Quum autem effectus in sanguine coagulatorius,
qualem fortia tantum acida producunt, in oculos clari-
fissime incurrit: quis non miretur momentaneam ce-
leritatem delatae ab ore ad crus medicinæ coagulantis,
qua profecto non potuit per ordinarias vias ad œsophago-
gum primum venisse, deinde per lactea aut lymphatica
vasa ad sanguinem deducta fuisse, quantumuis rapidum
nobis per has partes assumentorū progressum nunc veli-
mus fingere, quem alias placidissimum & lentissimo gra-
du succedentem omnes physiologi nobis proponunt.

§. XX.

DE ALTERATIONIB. MOMENTANEIS C. H. 23

§. XX.

Enimuero obiicies nobis, quod parum vero similia sint, quæ de medicina styptica, per nervos celerime proiecta ad arteriam vulneratam, diximus. Antiqua est, & toties repetita oblocutio, quod in nervis cauos ductus ostendere non liceat. Non reponam hoc loco saepius responsa, quod non omnino aut fieri nequeat aut vñquam factum sit, vt conspiceretur ex maioribus nervis discissis alicuius humoris effluxus: sed ipsius postulati inquitatem tantum ostendam. De nervis, mollibus vtique & porosis partibus, tam inexorabiles sumus, vt progressum alicuius fluidi per illos nolimus admittere, nisi ostendantur ductus caui, per quos seta aut stilus immitti forte possit, quam de ossibus, longe certe durioribus & rigidioribus, nemo dubitet, quin fibræ eorum cauitatem habeant, per quas influat, quo ad vitalitatem eorum conseruandam, & ad augenda illa secundum omnem dimensionem, a prima inde ætate ad consistentem opus est. Fracta ossa, quando adducta materia, quæ in callum abit, conferuent, annon probant esse fibras, diaphysin eorum constituentes, quantumuis videantur compactæ rigidæque, ductibus cauis, per quas tenuissima lympha adfluat, prædictas?

§. XXI.

Suspicaberis forte non per fibras ossium diaphysin constituentes illud fluidum, sed a periosteо suppeditari: adeoque ad id, cuius causa ossæ fibræ porositatem aduxi, comprobandum eam non quadrare. Enimuero causa non cadam, etiam si liberalis sim in largiendo tibi

D

quod

26 DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

quod postulas. Supersunt enim mihi, quæ in praxi toutes visæ sunt, in medio diaphyseos durissimorum ossium exorti veri magnique tumores, in quibus tandem arte chirurgica apertis collecta humiditas mensurabilis ac ponderabilis deprehensa fuit. Qui in ebore elaborant artifices haud exiguo damno suo subinde incident in tales durissimi ossis abscessus: quorum vnum, qui multas vncias limpidæ aquæ continuit, D. D. PRÆSES vidit Norimbergæ apud b. D. D. GOETZIVM, apud quem ad inuisendum diuerterat, quum artifex recens inuenit, & adhuc bona humiditatis quantitate intus seruata caute excisum eum adserret. Qua occasione plura in eboris media & durissima parte enata abscessuum specimen, ab artificibus redemita, non sine admiratione conspexit.

§. XXII.

Et annon quotannis nobis obuersantur arbores, iusto tempore succo turgentes, ut ad integras pluresque mensuras intra paucas horas eum possis educere: v.g. betulae, inglandes. Erras si per corticem eum putas emitti: videas enim in Germania inferiori & Litonia mea, vbi præ ceteris betulae & multæ & annosæ sunt, pro succo colligendo & exauriendo veris tempore truncum earum magnis & profundis excidi cauitatibus. Et qui ex iuglandibus aquam limpidam sapidamque cupiunt, Ianuario mense ex maioribus radicibus vnam ad medullam usque perforant, siveque in vas commode apteque appositum, si ceteris recte prospectum sit, aliquot mensuræ succi confluunt. Si autem vel iuglandem vel betu-

lam

DE ALTERATIONIB. MOMENTANEIS C.H. 27

Iam alio tempore stieci obtinendi causa sollicites, lignum eius siccum inuenies, & non multo plus humidi, quam ex arida pumice, obtinebis. Earundem arborum siccata ligna scriniariorum, tornatorum, doliariorum eleganteribus & firmioribus operibus idonea reperiuntur. Ebur autem quam firmum durumque sit, quid attinet hic multis inculcare?

§. XXIII.

Sed ex leui diuerticulo in viam atque ad neruos redimus, visuri quid celerem decursum & momentaneam propulsionem intra ipsorum poros ductulosque receptorum valeat efficere. Diximus antea illos neruos, qui per organa olfactus gustusque distribuuntur, ita fuisse a natura fabrefactos, ut inuolucris porosis obducti & reconditi sint, per quae odorabiles & gustabiles particulae, penetrantes ad papillas neruorum extremas atque subtilissimas, eas immediate & substantia sua adficiunt. Jam itaque si blanda, naturae amica & non nimis confertim illata illa sint, effectum blandum & oeconomiae virali commodum edere valent: ut quotidie videmus ex odoratorum, spiriuosorum, vinique vel aceti tempestiuo visu, vt & ore hausta & in illo tantum derenta efficaciam iam edant optabilem. Sic animo defecti pra*re* imbecilitate, iam recreantur, quando analepticum ore teneant: aut naribus admota odorabilia obuersantur. Fit inde perspicuum, quod ad neruos immediate accendant: quod autem intra illos de talium substantia aliquid recipiatur & per corpus celeriter distribuatur, experimentis adductis credimus comprobasse. Supereft itaque una

D 2

qua-

28 DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

quæstio, quid sit in nervis, quod tam celeriter impellat & distribuat receptorum siue laudabiles siue noxias vires.

§. XXIII.

Nihil autem vereor omnia hunc fructum tribuere maximo artificio constructis gangliis nervorum, quorum fabricam atque usum sagacissimus atque accuratissimus anatomicus IO. BAPT. MORGAGNVS, *advers. anatom. II.* magis, quam ante ipsum quisquam, illustravit: exquisita autem & luculenta dissertatione explicavit illustrissimus etiam post fata IO. MAR. LANCISIVS. His duumviris docentibus istud nouimus, esse ganglia veluti corcula quedam structura musculari composita, arteriis suis venisque, per tunicas exteriores ad interiorem substantiam admissis, praedita, vnde accipiunt vim sement contrahendi, & contentum appulsumque liquidum, vegeto motu, quasi ejaculandi. Atque sane notabile est, quod ad ganglion paris intercostalis supremum, vbi a pari vago insignem ramum accipit, eodem loco non minor ad linguam excurrit, per quem utique communicatio manifesta & in oculos incurrens prima perficitur, que autem deinceps, usque ad ganglion secundum, in thoracis supraem regione iacens, per complures alios nervos ab lingua, oris palatique partibus sepiissime augeatur & intenditur. Cumque nunc exinde per thoracem & abdomen ita perget hic intercostalis nerus, vt, non dicam singulis nervis a spina excurrentibus fila impertiat, sed in arteriarum venarumque singularium tunicas sese immergeat, easque variis modis stringat, inuestiatque, non video, cur fieri non possit, vt intra vasa, vasorumque tunicas ali-

quid

DE ALTERATIONIB. MOMENTANEIS C. H. 29

quid deponant ex eo, quod intra se receperunt. Sic acidæ penetrantissimas, itidemque stypticas subtilissimas particulas ad arteriam vulneratam perduxisse, atque in ipsa vulnerata tunica arteriæ effluenti sanguini admis-
isse, atque sic coagulum induxisse, mihi prorsus per-
suadeo.

§. XXV.

Atque eadem ganglia mihi prorsus videntur haud minimam partem habere in effectibus aliarum medicinarum, subito, vel ad sanitatem vel perniciem, aut magnam læsionem corporis operantium. Ex quo tempore salis ammoniaci commendatio ad curandas febres intermitentes cœpit scriptis diuulgari, visum fuit hic quoque accidisse, quod in infinitis aliis, vt, si nimis ampla & vniuersalia promissa minus spei respondeant, ad medicamentum, vt loqui solent, rectificandum & exaltandum animus adiiciatur. Id hic quoque factum esse rerum documentis patet. Primo flores simplices expetebantur. Quum hi prodigiosas curationes non facerent, adhibebantur citrinescethes martiales. Tandem, vt non quiescere solemus, donec ex bonis nimium bona, sed bonæ valetudini tanto ominosiora, arte pro-
cudamus: elaborati sunt flores hi cum hæmatite fa-
cti, aurantii obsoleti coloris: quorum vsu quum unus itemque alter momento ipso, quo ore acceperat, gra-
ui somno obrutus, nihilque sui conscius iacuisset, atque deinde euigilasset febre solitus: mirum in modum encomiis ferebatur hoc sulphur anodinum. Sed quum pergeretur alacrius, accideretque vt vir senio propior iisdem floribus acceptis obdormiret, numquam euigilatus, sive a morbo in perpetuum liberatus libitinae com-

D 3

men-

30 DISSERTATIO IN AVGURALIS MEDICA

mendandus esset: cito, & merito quidem, desit illius medicinæ fiducia, factumque deinceps fuit, ut sollemnissime inter venena narcotica scriberetur.

§. XXVI.

Quorsum hæc valeant adducta, paucis dicam. Momentana narcosis, omniumque sensuum seriatim, in sensu incurrit. Si quis medicamentum vel minima quantitate gustu exploret, profundissimam adstrictionem, tantum non strangulatoriam, ori & fauibus illico impressam diuque inhærentem, non sine vertiginosa ad caput congettione experietur. Idem tamen esse volatile docet eiusdem confessio: nam si enchires probe teneantur, non solum facile & mediocre igne, sed copiose & confirmatim adscendent flores isti. Et quoniam illud martiale, quod tantopere, ad strangulationem usque, adstringit, cum salino solubili & per se penetrante coniunctum est, vehiculoque solutum exhibetur; illico se poris linguæ, palati, fauicium & cesophagi insinuat, per omne nervosum genus diffunditur, ganglia plexusque vehementi sua adstrictione contrahit: a quibus vicissim tunice arteriarum ad superficiem excurrentium angustantur, vt humoribus illuc excurrendi libertas magna ex parte admiratur, intus autem intra maiora vasä aceruati hæreant, ad cerebrum copiosius irruant, oppletisque vasis corticalem substantiam intrantibus medullarem substantiam, ex qua prima nervorum stamina producuntur, premant: illaque durante stuporem illum seu effectum narcoticum, inducant & sustentent.

§. XXVII.

DE ALTERATIONIB. MOMENTANEIS C. H. 31

§. XXVII.

Si inter hæc fiat, vt vis naturæ corporeæ, per acer-
uatos in vasis humores, excretoria organa recludat & per-
rumpat, ibique effluxum & exitum, cum medicinæ fa-
linis permixtum adstrictorium habenti, tum simul hali-
tnosis aliisque in morbo aceruatis fordinibus intueniat ar-
que aperiat: salutem ægrotus recuperat. Quod si vero
in corpore humoribus superonerato, viis non facile
expediendis, humoribus autem ad motum non dispositis,
eadem accidunt, rem ad euentum apoplecticum decur-
re minime debemus mirari. Videnturque in hoc ge-
nere maioris periculi, qua cum volatili expansiō principio profunde adstringens vna habent: quam quæ sine
illo turgefaciens tantum & orgasticum possident. Certe
ab oleo animali Dippeliano, quin spiritu cornu cerui
probe factò, vii sunt homines epileptici, aut febre in-
termittente laborantes, si iusto tempore ante paroxys-
mum data fuerint, proſtinde sopiti aliquot horis iacuisse;
tandem cum exsudant, expergefacti cum euphoria fu-
erunt, neque tamen, quod ad meam notitiam perue-
nerit, quisquam inde funestum soporem contraxit.

§. XXVIII.

Quum de medicinis momentaneum effectum edentil-
bus sermo sit, non possum quin inferam specimen notabile,
quod D. D. PRÆSES, præceptor omni obsequio æta-
rem colendus, cuius fideli institutione in quintum iam
annum, ædibus autem & convicta per tres admodum an-
nos magno cum fructu usus sum, doctrinæ & admoni-
tionis causa subinde recensuit. Scilicet puerulo seme-
stri paululum maiori, quum miserandum in modum per
aliquot

32 DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

aliquot horas eiulasset & abdomen contorqueret, iniecta autem enemata, atque nescio quæ alia exhibita, parum conspicua opis tulissent, suasu matronæ cuiusdam petebatur ex pharmacopolio puluis, cuius effectum optabilem in aliis sèpe spectasset. Dabatur modica quantitas: quæ vix ori infusa fuerat, quum puellus in medio eiulatu tamquam obmutesceret, oculos clauderet, somnum placidum caperet. Quam id optabile initio fuerat visum, tam sollicitos reddebat parentes momentanea mutatio & somnus, quantumvis placidus, ultra octauam iam horam continuus. Aduocabantur, quotquot haberi poterant medici, qui metum eximebant, quum libere respirantem & bellissime transpirantem viderent. Examinato pulucre, qui ex epileptico M. specieb. diaireos & faccharo penidio concinnatus & guttula vna vel altera laudani liquidi Sydenh. concinnatus fuerat, inueniebatur centesimam forte grani vnius opii partem fuisse, quæ tam momentaneum, tamque conspicuum effectum ediderat. Quum post aliquot interiectos dies eadem in pufione exacerbatio dolorum accederet, iamque medicina confidentius daretur, vix conspicuum fuit, quod fructum adferret eadem quantitas; & altera tertiaque demum dosi profectus sentiebatur.

§. XXIX.

Hactenus de neruis primas regiones, quas medicinæ subeunt, perreptantibus, atque vires earum pri-
mum in se recipientibus, loquuti sumus, quantum nec-
essarium visum fuit ad indagandas rationes momentaneo-
rum, quos producunt, effectuum. Non fuit propositum
neruo-

DE ALTERATIONIB. MOMENTANEIS C. H. 33

neruorum, iisque appositorum ganglionum omnem doctrinam euoluere; aut ab iis pendentium alterationum non æque momentinearum censum agere. Quod cogitans benevolus lector veniam dabit, si ad pathologiam atque praxin utrissima plura, quæ docti viri WIL LISIVS, VIEVSENIVS, atque hos omnes longe supergressus LANCISIVS, in hanc rem attulerunt, sicco pede a nobis prætermissa animaduerterit.

§. XXX.

Superegist nunc ut dispiciamus, si quæ supersint celeres subitæque alteraciones, quæ ad censum earum, quas tractauimus, haud commode videntur referri posse. Scilicet loquuti fere sumus tantum de illis, quæ excitantur, quando per odoratus gustusque vias nervi immediate affecti mutationem aliquam suscepereunt & propagauerunt ulterius. Videntur his fere contraria, quæ in neruorum extrema, cuti intertexta, primum incident, & effectum ad interna propagant. Quæ de torpedine §. VI. attulimus, quantum ad historiam pertinet, puto indubia esse: tanto autem magis admiranda, quia non nisi viua illa vis est, maestata autem inter mensarum delicias habita fuit. Sed quod nostris regionibus dispiciendi de his atque indagandi copia omnis ademta est; & antiquus auctor, qui ostendit in quo illa vis sita fuerit, ad nos non peruenit: cum iusta excusatione hac omittimus. Pariter despero de inuenienda ratione individualium alterationum a rosa, tele, pomo certæ & determinatæ speciei: quare nec his expediendis frustra insudabo.

E

§. XXXI.

34 DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

§. XXXI.

Quotidiana sunt exempla celerium magnarumque alterationum, quando corpori bene calenti ac transpiranti, animo autem seculo & nihil aduersum exspectanti, aliquid accidit convarium, ut magno frigore afficiatur aut humiditate simul ac semel perfundatur. Atque quo magis quisque insuetus est talium, tanto magis grauiusque ab illis afficitur: quum adiutis etiam ex feruenti balneo in fluuum, hiberno ipso tempore, se immittere atque natare, deinde in hypocaustum feruens redire, non solum impune sit, verum etiam ad corporis firmitatem & alacritatem conducat: quod inter Russos toto licet die oculis arbitrari. In plerisque, quibus male talia cedunt, terror subitus concurrit, & plurimam partem in laesione hinc orta sustinet. Sed si demamus illum, contrarii effectus caloris blande expandentis & ad superficiem pellentis; frigoris autem superficiem constringentis & ad interna pellentis, solidis vero partibus angustationem & corrugationem inducentis, manifesti sunt. Hinc fit ut haemorrhagiae sepe nimis cito hac arte supprimantur: sed non raro grauissimos post se affectus relinquant: ut in naribus polypos, ut et in vtero: haemorrhoides autem ita supprimant, ut mox tubercula dura, pulsantia, suppurantia & in fistulas ani abeuntia producant. Posseimus, si tempus permitteret, notabiles casus dare, quibus tristes hi cuentus clare comprobati fuerunt.

§. XXXII.

Sed haec valde nota, & quotidianis exemplis forte nimis spectata, mittimus. Paucis autem dispiciemus quam

DE ALTERATIONIB. MOMENTANEIS C.H. 35

quam firmæ sint eorum rationes , qui in iaspide authæmatite exterius applicatis , præter frigoris effectum , nihil volunt admittere . Enim uero sententiam illam fida obseruatio refutat . Supra §. VII. adduximus ex ANSELM. BOETIO virginem , cui iaspis rubra ad nimiorum mensium vitium corrigendum fuerat proficua . Ut autem iudicari possit , quod frigori lapidis nihil tribendum sit , non grauabor adscribere auctoris verba : „ Iaspidem - - illi commodato do , vt collo appensam gerat . Paret illa , sanguinisque fluxus illico sistitur . „ Gestat per aliquot hebdomadas ; non redit fluxus . „ Cum itaque se prorsus curatam opinaretur , deponit „ geminam : post paucos dies redit fluxus : iterum appendit iaspidem , cuius beneficio mox liberatur . Cum „ vero singularem huiusmodi facultatem & diuinam mi- „ raretur , vt mihi retulit , experiundi gratia aliquoties „ a collo deposita geminam , ac semper animaduertit „ redire fluxum , nec curari , quin iterum appenderet . „ Obseruauit tamen non statim , seposita iaspide , redire , sed post multas prius elapsas hebdomadas : appensa tamen statim fisti , ita vt nulli alii causæ fluxus inhibitus adscribi ab illa potuerit , quam iaspidi .

§. XXXIII.

Non grauabor adscribere prorsus parallelam huic obseruationem ROB. BOYLÆI ex fine tractatus , cui titulum fecit *de atmosphær. corpor. consilientium.* „ Vidi , „ inquit , lapidem penes academicum quendam mihi notum , quem , si oculis suis habenda fides , agathem iudicasse , non hæmatitem , adeoque non credidissem

36 DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

„aptum ad medica effluvia , vehementi hæmorrhagia
„sistende accommodata, communicandum, nisi, qui
„eum gestabat, morbo illi fuisset obnoxius, seque ipsum
„& alios hoc lapide ceruici appenso pluries curasset:
„quem si deponeret, vt quandoque experimenti gratia
„faicitabat, temperamentum eius perquam sanguineum,
„cui geminum raro vidi, ipsum paucorum dierum spatio
„in reciduas coniecit. Iudicem nunc ipsum bencuo-
lum lectorem facio , possitne hic frigori, siue iaspidis
siue hæmatitæ, causa cohibitarum hæmorrhagiarum tri-
bui. Esto frigidos hos esse lapides, quando ceruici ap-
penduntur: quam paucis momentis opus est ad expel-
lendum frigus , caloremque suscipiendum, si ex collo,
sub vestimentis, dependeant. Et an vero videri potest
simile, tales lapillos per menses annosque gestatos, fri-
giditate sua, quam olim habuerunt, continuo iuware.
Ceterum paucis addo in talibus eam adhiberi debere
iudicii moderationem, vt non illico adsperrinemur omnia,
si non quæuis obvia iaspis, aut quiuis hæmatites, parem
opem ferant. In omnibus istiusmodi externis notatur,
quod non æque duriores homines afficiant, ac tenerio-
res & maiori sensibilitate præditos. Deinde ipsi lapi-
des mirum in modum differunt, quod exemplo magneti-
cis cognoscas. Omnes enim norunt esse inter illos, qui
ferri modicum pondus attrahunt & sustentant: dari au-
tem nobiliores atque pretiosiores , qui tantum pondus
sustinent, quod proprium suum pondus quinquagies,
immo, vt ROB. BOYLÆVS auctor est, octuagies æ-
quat. Quam tamen eius virtutem nemo a priori , vt
loqui

DE ALTERATIONIB. MOMENTANEIS C. H. 37

loqui solemus, per sensus cognoscit: sola experimenta
indicant & comprobant.

§. XXXIV.

Sed ad finem tandem properamus, atque ex fonte
go ordine dictis aliquas conclusiones ducimus, quas in
arte versatorum iudicio submittimus. Dicebamus §. 4.
longe grauissimas esse lassiones, quas inducunt altera-
tiones momentaneæ feminis grauidis ac menstruatis.
Facile esset plura colligere ac adducere ex optimis ob-
servatoribus exempla grauium conuulsionum, ab hoc
initio ortarum, natuorum etiam corpori foetus gestati
impressorum, atque abortuum: sed vnicam mihi pro-
be notam pro exemplo dabo historiam. Femina iu-
nencula, quæ etatis sue anno XVIII. primum pe-
perat, quum uterum iterum tertio mense gereret, &
messis tempore omnes domesticos in agrum dimisisset,
sola domi relicta, oborta grauissima tempestate, cel-
lam profundam subibat, quo minus fragorem toni-
truum exaudiret & fulminibus rareretur. Sed cum
fulmen in propriarum ædium rectum decideret, mag-
namente frontis earum partem summo cum fragore de-
iiceret: isto tanto terrore penitus exterrata in synco-
pen incidit, & abortum fecit. Ab eo tempore, quo-
ties conceperat & ad tertii mensis medium acceperat,
abortum toties experta est, ut, si recte memini XXIII.
immatureo foetus eiecerit. Nulla fuerunt artis præsi-
dia omissa: confilia celeberrimorum medicorum, in-
tegrum volumen conficiens, præstantissimæque me-
dicinæ omnino nihil profecerunt. Infelix femina tan-
dem

38 DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

dem melancholica facta & cachectica, finem tot calamitatum optatissima morte inuenit.

§. XXXVI.

Quum per nares & linguam tam propinqua sit ad cerebrum, atque humores vitales nobilissimos via; medicus odoratum & gustum afficiens prudenter in vsum vocata, neutiquam adspernetur. Sunt huius generis complura in officinis, quæ si indiuuiduis recte aptentur, insignem fructum largiuntur. Possunt ope spir. salis ammoniaci, aut mixtura huius salis cum calce viua, exaltari. Sed aliis potius acetum, aut vinum arrident. Ipsumque vinum aut acetum, ore tantummodo detentum, si intro dare dubites, gargarisatione inuuant. Quam efficacia sint adstringentia volatili-sata, patebit ex §. XVII. lectione: quare vix opus est de cauto illorum v̄su admonere. Quin nec volatilia, sed satis fixa, vt terram laponicam cum tinctura martis & anodina mixtam, haud segniter vires suas per corpus diffundere: patebit ex illo casu, quem Exc. D. D. PRÆSES ante complures annos cum publico communicauit, viri ab inconsulta haemorrhoidum suppressione apoplexia extinti, cuius intestinum rectum cum bona coli parte, arctissime & angustissime constrictum inueniebatur. Opiatorum igitur cum adstringentibus vix videtur fieri faustum auspicatumque connubium. Sed vere tutiora sunt, quæ & per se sunt purissima ac a fæcibus sequestrata, & deinde cum purgantibus aut emeticis non segnibus, vt veratro albo, scilla,

DE ALTERATIONIB. MOMENTANEIS C. H. 39

scilla, sulphure aurato antimonii, gutta cambodia, vt quodus purgans morbo commodius videtur, rite combinata sunt. Hoc pacto correcta opita, præfertim alcalino sapone adjuncto, vt in Starckeyanis pilulis, diuinum sunt remedium, si modesto vſu eadem adhibeas.

§. XXXVI.

Non quidem momentaneam, sed satis profecto celerem opem adfert etiam castoreum illis, quos rigida & pluuiosa tempestas in graues spasmodicas contractions coniecit. Noui exemplum viri procere statuera & tamquam quadrati, robusti & cetera non certe in umbra molliter educati. Hic cum aperto curru, quales sunt apud nos veredariorum publicorum, iniurias inclemensissimi aeris, ventorum frigidorum, pluuiarumque pertulisset, dira corripiebatur colica, cum abdominis partium tam vehementi contractione, vt umbilicus omnino ad lumbos intus retractus esset. Totum proinde corpus in anteriorem partem rigide incurvatum erat, vt nullo pacto semet, non dicam erigere, sed vel tantillum mouere posset, robustisque pluribus viris opus esset, qui admotis scalis de curru ipsum tollerent, inque proximam tabernam deponerent. Ibi quum momento quieuisset, donec cyathum potus Caf- fe appararent, & sibi, saepius idem passo, familiarem medicinam, essentiam castorei afferrent, duas forte drachmas huius essentiae simul ebibebat atque pauculis momentis interiectis, iam aliquantum semet erigere,

mox



40 DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

mox surgere , libere obambulare , atque in hospitium suum pedibus abire valebat . Habeo historiam a viro , qui coram omnia vidit & obseruavit : & forte ipsem est , cui id accidit , hodie superstes est . Medicus erat , doctoralibus infulis in hac academia ornatus . Adduxi autem casum , quia celeris alterationis & auxilii exemplum est , & ut cogitandum commendem , annon a castoreo minorem opem propterea plerumque reportemus , quod nimis paucas guttulas granaue ægrotis admetimur . Sed riuos tandem hic claudio , benevolumque lectorem rogo , velit a me dicta in partem optimam accipere , suaque benevolentia & æquitate omnibus æ qui bonique consulere .

F I N I S.



01 A 6528

ULB Halle
002 928 698



3



20
9.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
 QVA
CORPORIS HVMANI
MOMENTANEARVM ALTERA-
TIONVM SPECIMINA QVAE-
DAM EXPENDVNTVR
INQVE CAVSAS EARVM
INQVIRITVR.

QVAM
 PRAESIDE
D. IOANNE HENRICO SCHVLZE
 MEDICINAE ELOQVENTIAE ANTIQVITATVM ET
 PHILOSOPHIAE PROFESSORE PVBLICO
 ORDINARIO
 ACADEMIARVM IMPERIALIVM NATVRAE CVRIOSORVM
 ET PETRIPOLITANAЕ VT ET REGIAE SCIENTIA-
 RVM SOCIETATIS BEROLINENSIS
 SODALE

PRO GRADV DOCTORIS
 SVM MISQUE IN ARTE MEDICA LEGITIME
 OBTINENDIS HONORIBVS
 PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTET
Ad d. Septembbris M DCC XLI.
 AVCTOR
IO. GEORGIVS KRVMNAV.
RIGA LIVONVS.

HALAE MAGDEBURGICAE
 Litteris IOAN. CHRIST. HILLIGERI, Acad. Typogr.